



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Princeps Christiano-Politicus Septem donis Spiritus sancti
instructus Anno M.DC.LVI.**

Faust, Reinhard

Herbipoli, 1667

Caput VI. Consilii Præses.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55326)

à malis, & dirige actus nostros
ad gloriam tuam & salutem no-
stram.

CAPUT VI.

Consilii Præses.

ADjumentis consiliorum &
virtutē consultorum confir-
matus Princeps veluti terrestris
Deus, ad quem, ut rerum om-
nium gubernatorem, & largum
gratiarum patronum recurrant
omnes, censendus est: Solus pœ-
narum & præmiorum sic distri-
butor. Sic enim & Dei, & ejus
Unigeniti, & Ecclesiæ, & totius
naturæ monarchicam guber-
nationem imitatione exprimet.
Excludenda est gubernatorum
socie-

90 DISCURSUS III.

societas, ne internorum vitiis, & externorum machinis sibi ipse obsit: Alterum sibi parem, pluresve suæ authoritatis usurpatores non toleret. Alexander Magnus ab Asiæ Imperio Darium exclusit; Tiberius Sejanum, qui suum thronum Tiberii parem throno collocaverat, delusit. Dum unus Romanum Imperium rexit Augustus, pax erat; dum detrectabant Romani parere uni, erat perturbatio. Magnusianus nobilis exesse ex patria iussit parem Hermium, ne Mithridates urbe potiretur; Cleon etiam amicos à se gubernatore abesse voluit. Unum solem in cœlo, unum navarchum in classe, unum patrem familias

DE CONSILIO. 91

in domo, unum ducem in exercitu, unum regem in regno esse oportet. Una ratio pluribus sensibus imperare novit. Quando Apollo ad currum solis circumducendum admisit filium, mundo scandala & damna reliquit. Tricorporis Gerion monstrosus erat gubernator: Virgæ vel fauces regnorum unum debent esse sceptrum, vel unius voluntatis vinculo colligatum: Unitas bonorum fons, multitudo imperans, malorum est scaturigo. Ut igitur Princeps parem in suo statu nec plantare, nec tolerare debet; sic qui consilio, prudentiaque tanta in rerum turba & gravitate sibi assistant, foveat; habeat, qui pietate & iustitia, pru-

92 DISCURSUS III.

prudentia & experientia excellant, singulos in singulis eximios negotiis. Nec enim dum gubernatorem, legis, sententiæque latorem solum Principem constituimus, eundem omni destitutum auxilio alienæ industriæ prostituere volumus. Verum quemadmodum ad munus suum rectè riteque obeundum oculis, auribus, corporis, animæque facultatibus uti debet, ita eundem uti vivis, mortuisque magistris non prohibemus; princeps cura sit Principi, ut venerabundus Dei gubernatoris favores, veluti solus suorum censor, Dominus, Judex & Pater efflagitare conetur.